



1. Anton f. Pauli, s. Veritas
Christianae Religionis,
Hale, 1718.
2. diff. de Irrigni
Harmonia Fidei que iusti-
ficat et fidei quatenus
iustificare dicitur, Hale, 1723
3. Barth f. ioh. Henr. f. diff.
de Docta in theologia Ignoran-
tia, Argentorati, 1717.
4. Baumgartha f. Sigism. jac. f.
diff. de Limitibus in concili-
anda Rationi Doctrina
revelata observandis, Hale
1751.

DE
**METHODO
DEMONSTRANDI
MATHEMATICA,**
AD RES THEOLOGICAS NON APPLICANDA,

DISSERTATIO PRIOR,

QVAM,
DIVINIS AVSPICIIS
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIP E REGIO ATQUE ELECTORAT.
SAXON. HEREDE,

DN. FRIDERICO AVGUSTO,

PRAESIDE

DN. HENRICO RLAUS ING/
THEOL. DOCT. ET PROF. P. EXTR. MATHEM. SVP. ORD.

h. t. DECANO,

DOMINO PATRONO PRAECEPTORE ATQUE STVDIORVM
SVORVM PROMOTORE AETERNUM
DEVENERANDO

DIE VII. DECEMBER. MDCCXV,
PVBLICE DEFENDET

AVCTOR ET RESPONDENS

M. FRIDERICVS IACOBVS FIRNHABER,
VVERTHEMIO-FRANCVS.

VVITEMBERGAE, LITERIS SAMVELIS KREVSIGIL.

ОСОНТЫ
ДИАЯТИЯ

ЕВАНГЕЛИЯ
АПОСТОЛА ПАУЛА

ПОСЛАНИЯ
АПОСТОЛА ПАУЛА



Q. D. B. V.
DE
METHODO DEMONSTRANDI
MATHEMATICA,
AD RES THEOLOGICAS NON APPLICANDA
DISSERTATIO PRIOR

PROOEMIVM.



D pridem apud eruditos, magno consensu euictum comprobatumque est, ex omnibus disciplinis, solis fere *Mathematicis*, summam in eo accedere gloriam, laudemque, quod tum in explicandis, tum in probandis dogmatibus suis, omnium evidentissima, ac maxime demonstrativa methodo utantur. Exquisitissimum et omnibus numeris perfectum docendi genus, vocat *Aristoteles Mathematicum* L. I. Eth. ad Nicom. c. 3. qui ibidem *Mathematicam demonstrationem*, ut omnium certissimam laudat. *Seneca uero Tom. II. Opp. 520. Geometrae*, inquit, *non persuadent, sed cogunt. Utuntur enim p. 540. argumentis nihil quicquam dubii relinquuntibus.* Quod et alia-

aliarum disciplinarum Magistros passim allicit, ut, nihil
quicquam certi se scire posse sibi persuadeant, nisi quod
mathematice demonstratum sit; tanto quidem cum
nisi, studioque, ut et nonnulli Theologicas veritates, quae
tamen omnium certissimae sunt, tum demum firmas
immotasque iudicent, quando laudata istae methodo ex-
positiae essent. Quare subinde, tum ad stabiliendam sacri
codicis autoritatem diuinam, tum ad confirmandum
sensum Scripturae genuinum, et dogmata sacra, eandem
applicuere, nec omissis aliquando ipsis geometricis et
Arithmeticis rationibus, quibus haec uel maxime corro-
borari posse arbitrabantur. Licet id plerumque, admo-
dum infelici cum successu factum fuerit. Non infrequen-
ter enim, pro iunone, quod aiunt, nubem amplecte-
bantur, ut iuxta crassissimos errores, loco quaesitae
certitudinis, in summam rerum incertitudinem delapsi
sint, aliorum ludibrio se non parum exponentes. Cu-
ius quidem rei exempla toto die nobis obuersan-
tur, quae et simul demonstrant, communiter nihil
minus, quam Mathematicas demonstrationes ab eius-
modi Scriptoribus nobis exhiberi. Inde putabam, me
non usque adeo male operam collocaturum esse, si paulo
penitus inquirerem. An et necessitas postulet, et pru-
dentia suadeat, ut methodus demonstrandi mathematica ad
res sacras applicetur: Et an id omnino fieri possit. Quod
ipsum, cum nemo quantum mihi scire licuit, hactenus
ex instituto pertractauerit, rem omnem duabus dis-
sertationibus comprehendam. Quarum prior, quae
hic sistitur, ipsam naturam et Leges huins Methodi
explicabit. Posterior uero de applicatione eiusdem ad res
sacras, breuiter, et ad exercitii academici rationem, acco-
modato instituto, dispiciet. Faxit DEVS ut feliciter et
salutariter.

DIS-

Hacine, atiae
Wernsdoriana est
Dissertatio, cuius
herimentio fietat!

Haec ipsa est Disser-
tatio, de qua loquunt-
sunt. Error fuit in
nomine Praefidis,
quem Wernsdorfium
esse falso credidi. Re-
spondens nunc est Su-
perintendens Westhei-
menis.

Non possum quin, hac
occasione, moneam,
auctores relationem

ut vocant, innocua-
rum (Unschuldige Nachr.)
illo ipso tempore, quo
haec dissertationis scripta
et publici iuris fecisse
Meditationes Anti-He-
noticas, methodo qui-
dem Mathematica
scriptas. Quae si hinc
orient: utrum factum
protectioni, an haec
illi sit contraria?

DE MTHODO DEMONSTRANDI MATHEMATICA IN GENERE

DISSSERTATIONIS PRIORIS.

DE MTHODO DEMONSTRANDI MATHEMATICA
IN GENERE EIVSDEMOQVE NATURA ET LEGIBVS.

APHORISMVS. I.

Est et datur peculiaris aliquis demonstrandi methodus et ordo, quem non inconuenienter Mathematicam appellamus, tum quia Mathematicis scriptoribus in uniuersum solis recepta est, et semper fuit, tum quia rebus Mathematicis omnium maxime conuenit.

Explicatio.

§. I. Singulis disciplinis certam immotamque multorum satis scientiam relinquendam esse, nemo facile negabit, nisi, qui scepticas aut Academicas nugas amplecti uoluerit. Quam tamen, nullo alio modo, quam uera et solida aliqua demonstratione nobis acquirimus, quamvis ea non in omnibus una edemque via instituantur, sed nunc ex principiis manifestis ac per se notis, nunc ex principiis et certis effectibus deductis, nunc etiam ex causis, iisque uel materiali, uel finali, uel efficienti derivetur, idque uel analytica, quae *practicis*, uel *Syntheticis*, quae theoreticis disciplinis communis est, methodo. Ex quibus diuersum semper a uulgari docendi scribendique ordinem, iam inde, usque ab antiquissima rerum memoria Mathematicos adhibuisse, obseruarunt historiae Mathematicos scriptores omnes, in primis duo, qui horum facili primi ac praecipui sunt. Ioh. Gerhard. Vossius in L. de Aniuersa Mathematicos natura ac constitutione passim, et Speciatim c. III. Ioh. Wallisius in Opp. Mathem. Vol. I. c. III.

A 3

Qui

Quibus addatur Christianus Wolffius in breui Commentatione de Methodo demonstrandi Mathematica Et. Erhard. Weigelius in Analyt. Aristot. ex Euclide restituta.

§. II. Consistit haec Methodus , generatim loquendo , in certo definitionum , diuisionum , affectionum , principiorum , problematum , et bis omnibus admixtorum scholiorum ordine , quae se inuicem ita excipiunt , ut primo loco ponantur *definitiones* ac *diuisiones* quantitatis ac rerum quantarum , ad intelligendam naturam rerum demonstrandarum necessarias . His (2.) *affectiones* rerum quantarum subiunguntur , ad describendum et ostendendum illud , quod demonstratione erat afferendum (3.) Adiiciuntur *principia* ex quibus demonstratio conficitur , qualia sunt primum , si opus fuerit , *axiomata* et *postulata* , deinde *theoremata* , *corollaria* , et *lemmata* , quae inter se differunt , ut *principia independentia* et *dependentia* , ut *clariora* et *clara* , ut *propria* et *aliunde derivata* . *Axioma* enim denotat principium euidentissimum et natura sua omnibus notissimum , $\alpha\zeta\iota\omega$ propterea ut recipiatur sine addita demonstratione . *Postulatum* itidem est principium , quo huiusmodi quid petitur ut concedatur futurae demonstrationis gratia , quod omnes qui terminos intelligunt , ultro admittunt . *Theoremata* uero , tanquam principia inseruiunt quidem demonstrationi , sed tum demum , quando et ipsa , satis probata sunt . Ex quibus , si denuo , legitimo modo deducantur conclusiones , idem praestant , et nomine *corollariorum* insigniuntur ; sicuti *Lemmata* , vocantur principia aliunde hausta , et ad demonstrandum necessaria . Ad quae (4.) in demonstrandi ordine requiritur , ut omnia desinant , ac terminentur in problematibus : hoc est , propositionibus ipsam demonstrationem includentibus , cum necessariis eiusdem requisitis .

Ac-

Accedit denique (5.) omnibus his hactenus recensitis, et de definitionibus, et divisionibus, et affectionibus, et principiis, et problematibus, quod, si ita uisum fuerit, interserantur *scholia* quaedam, quae nunc explicationes, nunc animaduisiones et adhortationes, nunc simile quid superioribus interponunt.

§. III. Propriam fuisse hanc methodum Mathematicis, exinde constat, quia hactenus isti fere soli leges eius obseruarunt. Quamquam enim non defuerunt, qui eandem ad alias subinde disciplinas applicare allaborarent, conatui tamen ut plurimum uix ac ne uix quidem euentus respondit. Vnde alii, qui maiori pollebant sagacitate, contenti fuere, si tantum, analogum quid huic Methodo, in quasdam scientias deriuarent. Quo pertinet Pufendorf, in L. de I. N. et G. C. II. et Roeschelius Disp. de Demonstrat. Physicis ad Geometricam certitudinem adspirantibus.

§. IV. Cuius quidem rei in causas paulo penitus si indagare libuerit, deprehendemus, potissimum omnium ponendam esse, in diuersitate obiectorum scientiarum priorum, quippe ad quorum naturam et indolem, praeципue, omnis demonstrandi methodus dirigenda erat. Hoc posito, nullum fere ex omnibus scientiarum obiectum huic methodo tam accommodatum est, quam Mathematicum. Ut enim omnia ex definitionibus suis deducantur tanquam ultimis demonstrationum fontibus, et quidem sub ratione *analogie*, necessario praesupponuntur ipsarum rerum, clarae, distinctae, addo et adaequatae notiones, quas nobis quam commodissime suppeditat Mathesis, maxime pura. Haec enim entia non considerat in uniuersum, sed ex parte tantum, quantum nimirum admittunt quantitatem, idque ne ullo qui

quidem habito respectu ad suum subiectum, cui inheraret, sed abstrahendo ab omni prorsus materia, sensibili aequa ac intelligibili. Quo pacto non poterant non intellectui longe simpliciora et faciliora sibi, quam aliarum disciplinarum obiecta; et per consequens ab eodem eo clarius cognosci, et distinctius, adaequatusque definiri; At hanc idearum claritatem, in aliis disciplinis, tanta facilitate non deprehendimus. Occurrunt enim in illis ideae ut plurimum compositae, cum pleraque obiectorum ingenti modorum copia abundant, quae claritatem cognitionis non promouent, sed impediunt, atque rem admodum obscuram reddunt: Hinc nec in aliis disciplinis, obiecta tam clare et distincte definiri possunt, sicut in Mathematicis. Prout et in illis saepius deficiunt uoces, ad efferendas ideas satis idoneae. Passim enim utuntur notionibus dubiis et incertis, rem tantum ex parte experimentibus. Mathematici uero proprias, ac eiusdem ubique significationis uoces requirunt. Accedit, quod in aliis disciplinis, neque tam firma semper supplant principia, sicut in Mathematicis. Hae enim dum clarissimis innituntur conceptibus, nihil in numerum principiorum assumunt, nisi quod sit evidentissimum, et quae ex eo necessaria consequentia colliguntur, ineluctabilem aliquem assensum postulent. Quod rursus in aliis eo minus sperandum erit, quo minus aliquando rerum naturas penetrare possumus. Et hoc causae esse arbitrio, ut ipsi Mathematici, quando alias scientias demonstrationibus suis, uel illustrare, uel confirmare uolunt, saepius turpissime hallucinentur. Etenim notionibus suis distinctis adsueti, dum ad eandem claritatem res alias perducere conantur, uel rationes rerum non satis euoluunt, uel sine probatione accipiunt, quae

quae minime probata sunt, nunc uero per saltum ratiocinantur, inferentes nimirum, quae nullo arguento inferri possunt; sicut id olim iam obseruauit, magnus Helmstadiensium Polyhistor, Hermannus Conringius in Ep. ad Froelengium, de Demonstratione, quae Vioti Tract. de Dem. Edit. tertiae prefixa est, et in Cartesio percensuit Isaac. Vossius ap. Henric. Videburgum, in praefatione ad Vioti Tractat. de demonstratione, quibus addatur Io. Clericus in Logica P. III. C. 13. p. 181.

APHORISMVS II.

Non autem sufficit ad Methodum demonstrandi Mathematicam, solus ille ordo definitionum diuisiōnum, affectionum, problematum atque scholiorum, quod solent nonnulli sibi persuadere, et alii. Requiritur praeterea ut singula haec, quae in his et definitionibus, et diuisiōnibus et affectionibus et principiis continentur, habent euidentiam uere Mathematicam.

Explicatio.

§. I. Nihil solennius est, quam ut confundatur ordo definitionum et principiorum modo descriptus, cum ipsa Methodo demonstrandi Mathematica, ceu in plerisque eorum, qui eandem ad res alias, speciatim theologicas applicarunt, apparet. Ut plurimum enim leges demonstrationis Mathematicae prorsus non obseruant, res substratas numquam definiunt, uel si definiunt, uocabulorum ambiguitate ludunt, et falsa atque nunquam concessa, ut uera supponunt, ut in tota eorum demonstratione, quam tan-

tantopere iactant, nihil reperias, quam meram aliquam dispositionem mimo-mathematicam. Quemadmodum de Spinoza id eleganter obseruauit, *Henricus Morus P. I. Opp. Phil. p. 615.* quem locum Celeb. *Io. Alb. Fabricius* annotauit, in *Mathemat. Remonstratione aduersus Sturmiū*, quemque denuo huc transcribere non piget. Evidem fateor, inquit, cum, (*Spinozam*) mimo-Mathematicam quandam praceptorum suorum dispositionem affectasse, superbumque geometrici ordinis ac demonstrationis titulum, suis (*ad imperitis imponendum ac plebeis*) probationibus qualibuscunque indidisse. Verum ordo ille Geometricus nihil plus ualeat apud peritos, cum praecepta illa falsa sint, quam certa figura ac modus in *syllogismo*, dum utraque aut altera praemissarum sunt falsae. Et sene si sola ista dispositio Mathematica ad demonstrationes Mathematicas, uel ad methodum demonstrandi Mathematicam sufficeret, nihil repugnaret, quo minus concederemus, dari demonstrationes Mathematicas, in omni genere disciplinarum atque artium. Nec scirem, quidnam, hoc quidem sensu, demonstrationes Mathematicae, una cum tota demonstrandi Methodo Mathematica, praecepui haberent prae aliis. Imo, nec scio in quam prolixam, et incommodam demonstrandi rationem tandem degenerarent. Aliud itaque quid inesse oportebat, et reuera inest, in ipsis demonstrationibus Mathematicis, atque tota hac Methodo, quod praecipuum quid est, egregiumque, quo ab omnibus demonstrationum generibus reliquis distinguuntur.

§. II. Est illud *evidentia et certitudo Mathematica*; quanto tanto quidem gradu gaudent, quantus ab ullo alio demonstrationum philosophicarum genere expectari unquam poterat. Reuera enim certitudo ista habet gradum *ἀποδείξεως* humanae summum. Fundatur enim non modo in clarissima

fima et distinctissima perceptione *mentis*, sed et *sensuum*. Per quam illud, quod asseritur, tam clare atque manifeste oculis et *mentis* et *corporis* proponitur, ut rem necessario ita se habere, neque per rei naturam aliter esse posse, tam aperte intelligatur, ut si id quis negare uoluerit, rationem et sensum omnem necessario exuisse oporteat. Quod quidem usque adeo uerum est, ut nec Physici, nec Moralistae, huc dum Mathematicam euidentiam sibi arrogare ausi fuerint, sed contenti sint, si ad eam quodammodo adspirare possint, sicut in superioris Aphorismi §. 3. obseruauimus. Tantum abest ut eam euidentiam in omni genere disciplinarum, per quemcunque definitio-
num, postulatorum aliorumque principiorum, ordinem obtinere possis.

§. III. Oritur uero *evidentia* ista, et certitudo demon-
strationum Mathematicarum (1) ex ipsis *rebus Mathematicis*,
quales in *Mathematibus puris*, sunt magnitudo et numerus,
in *Mathesi impura* res pleraque *quantae*, quippe qua-
rum naturam distinctissime cognoscimus. Ex qua clari-
tate rerum (2) prouenit claritas *definitionum*, *diuisiōnū*
ac *principiorum Mathematicorum*, ut ne ulla quidem *definitio*
ad demonstrandum adhibeatur, nisi quae sit uere Mathe-
matica, hoc est, realis atque euidentis, quae non solum natu-
rebus distinguat, ut solent *definitiones nominales*, sed etiam
secundum methodum, quam uocant *geneticam*, ipsam ex se
demonstrationem, intellectui et sensibus euidentem gene-
rent: Praeterea nec ulla *diuisio* ad demonstrationem Mathe-
maticam admittitur, nisi quae rursus sit uere Mathematica,
hoc est talis, quae secundum methodum exhaustionis totam
rei diuisae naturam exhaustiat, et demonstrationem de-
rei euidentissimam ex se relinquit. Neque ulterius ulla af-
fectio

fectio demonstrationi subiicitur, nisi quae ad demonstrationem uere Mathematicam sit adaptata. De principiis uero iam superius indicauimus, quod nullum ad demonstrationes suas applicent Mathematici, nisi quod sit uere Mathematicum, hoc est, quod habeat nexum tam necessarium ac evidentem qualem. §. II. descripsimus. Quid uero mirum est? quod, cum euidentissima quaeque ad demonstrationem Mathematicam cooperentur, ipsa tandem omnium reddatur euidentissima et certissima. In quoconque enim euidentissima quaevis concurrunt, illi merito summus euidentiae humanae gradus vindicandus erit. Ne tangam (3) ipsa ordinem illum, quo in demonstrando utuntur Mathematici, multum ad euidentiam suarum demonstrationum conferre. Licit enim mera dispositio in se considerata illis nihil roboris addat, nihil minus tamen si genuinis et legitimis suis obiectis applicetur, eorum euidentiam non parum adiuuat. Dum enim per frequentem et saepius iteratam inductionem unum ex altero deriuatur, nexus rerum, quo inter se copulantur, hoc ipso eo apertior ficitur. Et, hoc pacto, relinquimus etiam ipsi ordini memorato suam uim, neutiquam uero, si ad res falsas, uel minus euidentes, demonstrandas adhibetur.

APHORISMVS. III.

Habent hanc euidentem ac necessariam certitudinem uere Mathematicae demonstrationes omnes, sed non eodem gradu, nec eodem modo. Ex quo fit, ut demonstrationum quoque uere Mathematicarum, dicantur esse uaria genera, ipsaque adeo Methodus demonstrandi Mathematica uarie distribuatur.

Expli-



Explicatio.

S. I. Sicut in nulla scientia omnes demonstrationes aequali perfectionis gradu procedunt, ita nec in Mathematicis, quamvis in his singulae, magna eaque sufficiente evidentia, gaudcent. Quod tamen de Mathematicis puris praecipue dictum esse uolumus. Ea enim quae ad Mathematica mixta referuntur, eadem in nonnullis incerditidine premuntur, qua aliarum disciplinarum propositiones, per superius indicatas causas.

S. II. Gradus autem evidentiae in demonstrationibus rerum Mathematicarum, eo distinctius cognosci poterunt, si distinguamus Methodum demonstrandi Veterum Mathematicorum, a Recentiorum: Procul dubio enim in modo demonstrandi *Cartesius* et *Recentiores*, ab Euclide et antiquioribus Mathematicis differunt. Iuxta *Euclidem*, duo maxime dantur, demonstrandi modi. *Quorum alter est directus, alter indirectus.* *Indirectus* dicitur, qui non proxime demonstrat illud, de quo quaeritur, sed aliud quid, ex quo ipsum quaelitum euidenter et necessario sequitur. Fit iste modus per deductionem ad impossibile sive absurdum. Et cum alias disciplinis aequae communis sit, ac Mathematicis, tum deum euadit Mathematicus, quando habet evidentiam uere Mathematicam superius descriptam. *Quam quidem obtinet, quando contra negantem ueritatem propositionis, assumo oppositum eius, menti et sensibus apertissime contradictorium, et coniungo cum principio aut hypothesi dissentientis concessa: eo fine, ut exinde eliciam conclusionem, cum proprio principio eius manifestissime pugnantem.* Tunc enim aduersarius adigitur, ut uel ueritatem concedat, uel absurde et contra omnem rationem sensumque affirmet, duo contradictoria simul posse

vera dici. E contrario *directus* modus id quod quaestioni subiicitur, non per aliud, sed directe et per se ipsum demonstrat. Quapropter alias *ostensua* dicitur, quia ueritatem propositionis, directis digitis ueluti, monstrat et ostendit. Mathematica autem euadit, si id quod demonstrat, ei menti et sensibus, modo euidentissimo exponitur. Demonstratur rursus, hac methodo, ueritas, dupli ratione, nunc nimirum *a priori*, nunc uero *a posteriori*. *A priori*, quando ex ipsis principiis conclusio elicetur: *A posteriori* autem, quando quaesitum ad sua principia redigitur. conf. Planerus in Disp. de Dem. Math.

§. III. Ex quo apparet, differentiam hanc modorum demonstrandi, ex ipsis gradibus euidentiae originem suam ducere. Si enim omnes demonstrationes unius eiusdemque euidentiae essent, facile uno eodemque modo poterunt exponi atque probari. Iam uero cum aliae paululum obscuriores apparent aliis, demonstratio per *indirectum* aliquando in subsidium uocanda era. *Quae* licet idem praestet, quod *directa*, non tamen propterea isti praeripit suam prae ea excellentiam atque praerogatiuam. Extra omnem enim controversiam est positum, illud quod ueritatem *directe*, et per se, digitis quasi demonstrat, firmius demonstrare, quam illud, quod idem per aliud efficit. *Quod* uero ipsa demonstratio *directa* denuo diuidatur in demonstrationem *a posteriori* et *a priori*, demonstrationem quidem *a priori* rursus excellentiorem esse altera, quae *a posteriori* procedit, arguit, neutiquam uero euincit hanc ex necessitate aliqua a Mathematicis in subsidium uocari. Quaecunque enim *directe* poterant demonstrari, illorum principia atque causas tam euidentes esse oportebat, ut non opus habeant, quod *a posteriori* demum confirmentur. Adhibentur itaque tantum ex abundantia, in gratiam dissentientium, ut modo concludendi

cludendi mathematico, juniores eo facilius adsuecant, quia ratione secundario sicut ad Mathesin pertinet. Conf. Erhard. Weigel. cit. loc.

§. III. Methodus demonstrandi Mathematica, recentioribus Mathematicis recepta, quam superius Cartesianam diximus, alias generatim loquendo *analytica* vocatur atque *algebraica*, quia secundum analysin algebraicam instituitur, methodus item *aequalitatis*, ut cum Gottignie loquamur, quia fit per aequationes algebraicas. Potuisset illa eodem uel maiore etiam iure, *Viette*a dici, quo *Cartesiana* dicebatur, quia non obstante, quod *Cartesius* eam sibi tanquam primo instauratori in praefat. ad Geometriam nouam adscribat, fatis constat, iam Vietnam ante Cartesium eandem proposuisse, et Cartesium pleraque debere *Harriot*o et *Oughtred*o. Ut nihil dicamus de illis, qui, ne nouam quidem hanc methodum dici posse cupiunt, scilicet, in sensu absoluto, u. g. de *Carolo Renaldino* in *Arte sua Analytica Mathematicum. Borravio*, in peculiari disputatione de *Archimedis Methodo inuestigandi*. Et in primis de *Io. Wallisio* in *Tr. Algebraico Historico Practico integro*, cum quibus conferatur Summe Reuerendus D. D. Praeses meus in *Dissertat de Mathesin noua non noua*. Sed instituti nostri nunc non est, ut laboriose expediamus, quo iure, quae iniuria methodus haec demonstrandi Algebraica dicatur noua; dummodo id nobis hoc loco concedatur quod Euclides, coeterique scriptores antiquiores, eandem in scriptis suis non usurpauerint, adeoque ab illa, quam praecedentibus paragraphis descripsimus prorsus distincta sit, constetque, hanc quae per analysin et aequationes procedit, esse quam maxime Mathematicam, evidentem, naturalem, atque uniuersalem, quae omnia illa, in quibus uel inueniendis uel demonstrandis Euclidea Methodus deficiebat, supplet, atque ira perficit, ut parum quod deficit, desiderari posse uideatur. Non enim eo euchenda est, haec methodus

thodus ut dicatur uel *ars omnia sciendi*, uel methodus nunquam errandi, aut *omnia inueniendi*, quemadmodum illi volunt, qui non attendunt, quod huiusmodi methodus, omnem humanaam conditionem longissime excedat.

§. V. Non autem sufficit, ut generatim loquendo dicamus, hanc methodum demonstrandi esse illam, quam alias analytico-algebraicam dicimus. Solet enim, et potest eadem haec methodus, speciatim considerata, denuo distingui, pro diuerso procedendi modo, quem adhibent scriptores Algebraici in suis aequationibus aliis atque aliis. Atque hoc illud est, quando *alia* dicitur *Cavalieri methodus indutusibilium*, incredibili facilitate atque euidentia, ad difficillima theorematata demonstranda, atque abstrusissima problemata soluenda contendens, de qua agit Renaldin L. I. de compositione et resolutione p. 233. seqq. et Honoratus Fabri in Synops. Geom. p. 24; *alia* methodus Guldini genitiva seu genericā, de qua videatur praeter citatos autores, Barrouius in Lect. Geometricis II. p. 21. *alia*, *methodus Pellii quæsitionaria*, *alia* *methodus infinitorum atque ex hac ratione Rernaldini* in L. I. de Compos. et Resolut. p. 277. de quibus conferatur *Wallius* in Tractatu, Algebr. cap. 59. seqq; *alia* iterum *methodus Isaaci Neutonis approximandi*, de qua videatur praeter Neutonius L. I. Naturalis Philosophiae Princip. Mathem Sect. I. *Wallius* l. c. cap. LXXXV; *alia* denique, *methodus Leibnizii differentialis* atque infinitesimalis, et similes plures quarum exempla praeter Wallisium l. c. exhibet *Celeb. Wolffius* in Elementis Universae Mathes. Elem. Analyt. sect. 2. c. 1. seqq. Haec enim demonstrationum genera in eo *omnia conueniunt*, quod sint analytico-algebraica, adeoque ad methodum demonstrandi Mathematicam præ reliquis omnibus referenda. Discrepant uero tantum in eo, quod alio procedunt ordine ac modo in aequationibus analyticis adhibendo. Interim ratione euidentiae cum Euclideis conueniunt, imo illas, etiam directas et euidentissimas, euidentia adhuc superunt. Quod inde est, quia per continuam aequationem ad minutissima respiciunt. Vnde et in illis rursus, pro diuersitate modorum variorum, euidentiae dantur gradus quos pluribus ostendunt et exemplis illustrant, scriptores modo laudati praeprimis *Wallius* et *Wolffius*, locis citatis.

99 A 6910



56.

VD 77

Petrus

III. 68.



28

DE
**METHODO
DEMONSTRANDI
MATHEMATICA,**
AD RES THEOLOGICAS NON APPLICANDA,

DISSERTATIO PRIOR,

QVAM,
DIVINIS AVSPICIIS
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIP E REGIO ATQVE ELECTORAT.
SAXON. HEREDE,

DN. FRIDERICO AVGUSTO,

PRAESIDE

DN. HENRICO RLAUSINGI
THEOL. DOCT. ET PROF. P. EXTR. MATHEM. SVP. ORD.
h. t. DECANO,

DOMINO PATRONO PRAECEPTORE ATQVE STVDIORVM
SVORVM PROMOTORE AETERNVM
DEVENERANDO

DIE VII. DECEMBR. MDCCXV,
PVBLICE DEFENDET

AVCTOR ET RESPONDENS

M. FRIDERICVS IACOBVS FIRNHABER,
VVERTHEMIO-FRANCVS.

VVITEMBERGAE, LITERIS SAMVELIS KREVSIGIL.